

Andreae Weidneri

Emendationes Iuvenalianae.

1887.

Quem ad modum in omni vitae ratione vicissitudines ac varietates rerum obtinent, ita in litterarum genere cum temporibus hominum iudicia mutantur. Iuvenalem quidem ante hos XX annos admodum severe existitit qui existimaret; quam ad normam cum non omnes huius poetae partes accommodari posse viderentur, dimidiam partem genuinam, alteram suppositam esse idem vir doctus arbitrabatur. Et hanc quidem iudicii severitatem pauci erant qui consequerentur. Ceteri quamvis obniterentur ac resisterent, multa tamen omnibus satiris dispersa tamquam aliena et extrinsecus inlata facere non potuerunt quin damnarent et uncis traherent.

Alterius etiam recensiois vestigia apparuerunt, ut omnia quidem ad unum scriptorem referenda, sed alia illis permixta et confusa viderentur.

Nostris quidem diebus res plane inmutata habetur. Et interpolator ille artifex et alterius editionis casus explosi et expulsi sunt; quidquid codicum memoria proditum est, sincerum et genuinum poetae opus venditatur. Sed docti quoque, dum vitia vitant, in contraria incurrunt.

Multi enim loci vitiis quibusdam scripturae traditae adfecti quo minus placebant, eo magis aliquamdiu tamquam additamenta abiciebantur, alii etiam propterea, quod recondita eorum sententia parum explicata aut probata esset, interpolatorum ingeniis et artificiis redonabantur. Ita factum est, ut recentes interpretes eiusmodi difficultates ea, qua deberent, sollertia illustrare aut emendare supersederent. Nam quis falsariorum fetus curaret et expoliret? Nunc ubi rediit animus interpolatorisque imago et facies evanuit, critici interpretationis illi quidem artes admovent, sed emendationis opem

nimis reformidant. Ac tamen quae diu neglecta iacuerant, ea omni artis instrumento indigent, ut tandem situ ac labe exempta ad pristinam integritatem revocentur. Huiusmodi exempla aliquot deinceps tractabimus.

VIII. 121—126.

Curandum imprimis, ne magna iniuria fiat
fortibus et miseris. Tollas licet omne quod usquam est
auri atque argenti, scutum gladiumque relinques
et iaculum et galeam: spoliatis arma supersunt.
quod modo proposui, non est sententia: verum est,
credite me vobis folium recitare Sibyllae.

Antiquitus cum socii omnium rerum abundantia florerent, rapinae proconsulum et praetorum volnera quidem infligebant, sed non prorsus ad vivum resecebant nec miseris gemitus exprimebant. Mox hinc Dolabella, hinc Antonius¹⁾, inde Verres ingentem spoliatorum numerum navibus referebant, porro alii iique plures de pacatis triumphos agebant.

Itaque nunc sociis despoliatis vix pauca boum iugera, parvus equarum grex vel pater armenti eripiantur. Et Graecos quidem, imbellem gentem, etiam nunc despicias, at Hispaniae at Galliae at Illyriae gentes feroces contemnere non debes; parcendum est etiam Afris, quorum opera urbs Roma saturatur. Hinc sequitur curandum in primis, ne magna iniuria fiat fortibus et miseris. Qui isti dicuntur fortes et miseri? An Afri an Illyrii et Galli atque Hispanienses? At horridos illos populos vitandos esse supra iam dictum fuit. An alii quidam populi spatio et caelo discreti? At occidentalibus opponuntur Graeci et Asiatici, quos temere contemni posse paulo ante iudicatum vidimus. Quare quos quidem populos Iuvenalis in animo habuerit, hac verborum complexione perspici non potest. Seiuonge haec nomina a versu 121 et adnecte verbis tollas licet: iam sententia elucebit aptissima haec:

Horrida vitanda est Hispania, Gallia, Illyricum, denique Afri nuper a Mario discincti. In primis videndum, ne qua magna fiat iniuria. Nam minora vel ferocissimi perpetiuntur, magnis vero iniuriis vel miserrimi ad rebellionem concitantur. Nam fortibus et miseris quamvis quod ubique auri argentique est sustuleris, illud tamen quin scuta gladiosque relinquant prohibere non poteris. Sane iacula et galeas conquisita undique adimas, at fortibus miseria exacerbatis utique arma supererunt: ex omni facile materia si non galeas et iacula, at scuta at gladios sibi fabricaverint. Inde hos versus hoc modo constituendos esse apparet:

¹⁾ Nusquam dixit nec dicere potuit Iuvenalis: Inde Dolabella atque istinc Antonius. Quare quoniam inde temporale esse necesse est, scriptum fuisse suspicor: Inde Dolabella hinc atque hinc Antonius, inde sacrilegus Verres referebant navibus altis occulta spolia et plures de pace triumphos. In his extremis quod (plures) interpretes accusativum esse statuerunt ego nominativum esse existimo. Illud quidem triumphis attributum quid significare possit non video.

Fortibus et miseris tollas licet omne quod usquam est
 auri atque argenti, scutum gladiumque relinques;
 et iaculo et galea spoliatis arma supersunt.

Denique in eis qui sequuntur versibus: Quod modo proposui, non est sententia: verum est; credite me vobis folium recitare Sibyllae' illud me maxime offendit, sententiam communem et veritatem tamquam vel re vel ratione contraria sibi opponi, cum tamen rhetoricam quoque sententiam si non semper at subinde cum vero congruere posse apparet. Cur autem illud verum esse putabimus? Quia folium Sibyllae idem praecipiat, ideo verum esse credere iubemur!

Immo quod Sibylla iudicavit, plus quam verum est: sanctum et religiosum habetur! Nec solum veritate, sed auctoritate et religione commendatur! At enim vero illud ipsum Sibyllae folium num verum et genuinum sit, id nimirum quaeritur, in hoc omnis exaggerationis cardo vertitur! Quod cum ita sit, equidem quod aliis locis occurrit, veluti XIII 100, idem hic arbitror factum esse, ut verbi substantivi forma tertia numeri singularis errore quodam grammaticorum falso adiungeretur. Ergo corrigendum esse hoc modo existinaverim:

Quod modo proposui, non est sententia: verum
 credite me vobis folium recitare Sibyllae!

Versum 124 Lachmanni auctoritate adductus incluserat O. Jahn; quod praeter scutum gladiumque uno tenore eodemque sensu iaculi et galeae commemoratio fieret, verbum vero spoliatis quo niteretur non haberet.

Mea coniectura fit, ut et arma telaque armis opponantur et spoliati suo casu exornati efferantur.

Aliud exemplum habes XIII, 236—240, ubi versus 236 ab Jahnio damnatus facili sequentium emendatione conservatur:

Mobilis et varia est ferme natura malorum;
 cum scelus admittunt, superest audacia: quid fas
 atque nefas, tandem incipiunt sentire peractis
 criminibus, tamen ad mores natura recurrit
 damnatos, fixa et mutari nescia.

Offendit haec si legas primum, quod enuntiatum illud tamen ad mores natura recurrit' cum reliquo verborum ambitu parum concluditur: quod natura sua conexum et coniunctum est, quasi per vim suo corpore abruptum pendet. Accedit quod „cum scelus admittunt“ initio versus positum membrum contrarium adversa fronte provocat: hoc plane abest, nisi quod sine ulla adversariae rationis nota ad extremum subicitur non satis adstrictum ‚peractis criminibus‘. Haec oratio non modo omni arte sed communi, ut ita dicam, sensu caret. Minus me movet verbi substantivi per coniunctivum cogitandi omissio dura illa quidem, sed quae exemplis aliis facile excusari possit.

Difficultates adhuc memoratae lenissima unius vocis correctione omnes simul explicantur ac tolluntur. Non quid, sed quod librorum (Pö.) auctoritate commendatur. Hoc quidem cum quom (= cum) ut alias saepenumero sic hoc loco permu-

tatum est, cf. quae attuli exempla in Prolegomenis Ciceronis rhetoricae p. LII, praeterea in Adversariis Tullianis Progr. Trem. p. 16, denique Pithoeani VI. 369 idem error recte opinor sublatus est ab O. Ribbeckio. Hoc autem uno vulnere sanato reliqua oratio lucida est et apte profluens.

Mobilis et varia est ferme natura malorum: cum scelus admittunt, superest audacia, cum fas atque nefas tandem incipiunt sentire peractis criminibus, tamen ad mores natura recurrit damnatos, fixa et mutari nescia. At his verbis non varium et mutabile quiddam, sed constantia quaedam et firmitas morum comprobatur! Ita sane esset, si mali ut ante scelus sic scelere perpetrato in eadem constantia perseverarent. Nunc facinore admissa ad paenitentiam rectique sensum permoventur, nec tamen in hac animi iustitia perstare audent. Nam ut sunt mobiles et cerei, ad nequitiam damnatam relabuntur. At haec ipsa malorum natura supra mobilis et varia iam fixa et mutari nescia praedicatur. Ita vero est. At natura fixa est in sceleris amore et damnatione, mutari nescia est, non quo immobilis sit et varietatem respuat, sed quod male pertinax iugum inconstantiae indiciique levitatis depellere non potest. Quae si recte disputata sunt, versum 236 plane necessarium esse ad absolvendam poetae rationem luce clarius apparet.

Simillimum est exemplum

V. 137—145.

dominus tamen et domini rex
si vis tu fieri, nullus tibi parvolus aula
luserit Aeneas nec filia dulcior illo:
iucundum et carum sterilis facit uxor amicum,
sed tua nunc Mycale pariat licet et pueros tres
in gremium patris fundat semel, ipse loquaci
gaudebit nido, viridem thoraca iubebit
adferri minimasque nuces assemque rogatum,
ad mensam quotiens parasitus venerit infans.

Interpres horum versuum rationem, quantum video, hunc in modum explanari posse arbitrantur: Equestrem censum si quo casu Trebius subito nancisceretur, ex nihilo extemplo magnus existeret Virroni amicus; atque hic tamquam eliens illum ut dominum et regem suspiceret, si Trebius simul liberorum prole careret, ut Virroni spes hereditatis certissima relinqueretur. Nunc Trebius pauper est: ideo Virronis nihil interest, quam multi Trebio liberi sint. Immo si uxor eius Mycale tres simul clienti liberos fundat, Virro loquaci nido gaudeat et quotiens parasitus infans ad mensam venerit munera ac dona adferat cumuletque.

Hic ego praetermitto, quod hac ratione admissa v. 139 et 141 interposita communi scilicet sententia (v. 140) pessime dirumpuntur ac distrahuntur. Nam eius modi salebrae orationis nostra memoria facili et mirabili artificio vel explanantur vel excusantur. Illud autem cogitando adsequi non queo, quem ad modum Virro ille

superbus sordidus indignus erga clientem patrem idem huius infantes liberos non modo animi benevolentia sed amore et studio subito amplectatur! Trebius post alterum mensem, cum culcita vacat (15—17), ad cenam vocatur: iam parasitum infantem atque adeo nidum loquacem ad eiusdem sordidi patroni cenam venire putabimus? Quid vero? Qua causa Virronem hominem sordidum ac superbum erga clientem moribus mutatis dulcissimo patrocínio infantium uti credemus? Nempe istorum infantium pater pauper est, spes hereditatis nulla relinquitur! Ideo patronus dulcis, ideo amabilis est! Haec ego non comprehendo nec Iuvenali imputare audeo. Omnia enim plane dicuntur, si tua ex sua errore ortum putaveris et Mycalen Virronis potius uxorem esse statuas. Iam hic sententiarum ordo subnascitur. Divitiae si tibi contigerint, Virronem lautum et iucundum habebis amicum. Ac si dives liberis carebis, sorte mutata ipse patronus, ille cliens demissus eritis. Ita enim est. Nostra aetate sterilis uxor parit amici iucunditatem, h. e. patroni clientes prolis felicitate uti ac delectari nolunt. At vero ipse Virro, si uxor hoc ipso momento tres simul liberos enitatur, paterna felicitate beatus et nido gaudeat loquaci et ad cenam si quis venerit electissimis muneribus oneratos dimittat: tunc sibi sapit, tunc pectoris recessus aperit.

Atqui pronomini reflexivi vim ad subiectum quoque primarii enuntiati pertinere vel apud prosae scriptores luculentis exemplis monstravit Nipperdey ad Corn. Nep. Milt. 1, 1 et Exc. VI p. 243 sq. Denique eiusdem erroris in libris mser. exempla suppeditavit M. Gertz ad Senecae Dial. p. 436. Quare versum hac distinctione illustrari licebit:

Iucundum et carum sterilis facit uxor amicum,
sed sua nunc Mycale pariat licet etc.

VI, 187—190.

Omnia graece,

[cum sit turpe magis nostris nescire latine.]
hoc sermone pavent, hoc iram gaudia curas,
hoc cuncta effundunt animi secreta.

Versum 188 ineptam ad vv. 187. 189 sq. adnotationem esse habendam expressam ad Ciceronis (Brut. 140) exemplum hoc non enim tam praecelsum est scire Latine quam turpe nescire, quam C. Barthius iam adv. XXIV 5 reiciendam putaverit, nec posse servari vel vv. 189—190 docere, qui necessario ad v. 187 referendi ne possent quidem intellegi, si Latini sermonis commendationem exciperent, severe iudicavit O. Ribbeck p. 165. Nec quasi vi quadam versuum 187 et 189 cohaerentiam interiecto v. 188 perturbari negare possumus, si latine nesciendi turpitudinem verbis illis „omnia graece“ subiunctam et adnexam putabimus. Quorum verborum quae est coniunctio cum hoc sermone ceterisque utique conservari debet. Et hoc fieri potest, si post verba illa „omnia graece“ voce remissa interpunxeris:

Omnia graece.
cum sit turpe magis nostris nescire latine,
hoc sermone pavent etc.

Mulieres istae omnia graeco sermone efferunt. Nam cum turpius sit nostris latine nescire, hoc tamen qui agitur sermone abditos animi sensus proferunt, quasi latine idem facere non queant.

Hac enuntiatorum conformatione quoniam primariae voces 'omnia graece' suum sibi locum obtinent nec cum alia sententia miscentur, quia solae cogitationi et animis legentium obversantur, facile represso secundario cum eo quod sequitur altero enuntiato primario conectuntur. Nam pronomine hoc non modo quae spatio proxima sunt, sed etiam quae mentem et cogitationem loquentium moderantur significari solent, veluti XIII 103 solet his ignoscere, multi committunt eadem diverso crimina fato, vel potius Hor. Sat. II 2, 36 quo pertinet ergo proceros odisse lupos? quia scilicet illis (lupis) maiorem natura modum dedit, his (nullis de quibus sermo est) breve pondus, qua de consuetudine latini sermonis eleganter disseruit G. A. Krueger § 419 n. 1. Accedit quod, si dicas hoc sermone pavent, hoc iram gaudia curas effundunt, non modo factum aut consuetudinem, sed etiam facultatem et dexteritatem quandam mulierum adumbraveris: Hoc sermone quae maxime in animo recondita sunt plane eloqui possunt, latine quae sentiunt fari non possint. Hac contrariorum ratione mea distinctio maxime commendatur.

Nec minus falso interpungitur VI, 136 sq.

Optima sed quare Censennia teste marito?
bis quingena dedit; tanti vocat ille pudicam,
nec pharetris Veneris macer est aut lampade fervet.
inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.

Sententiarum quidem nexus hic est: Censennia optima est uxor teste marito, quia bis quingena dedit. Hoc ille pretio pudicam vocat. At amore, dixeris, caecus est. Ardet certe, sed ardor iste non vi amoris, sed dotis pondere accensus est: inde faces ardent, a dote veniunt sagittae. Inde corrigendum esse apparet:

bis quingena dedit, tanti vocat ille pudicam;
nec pharetris Veneris macer est aut lampade fervet,
inde faces ardent, veniunt a dote sagittae.

Quod supra de pronominis hic usu dictum est, idem in narratione aut descriptione cadit in usum pronominis is id et adverbii quod est inde.

Sed redeo ad eos locos, qui ab aliis damnati lenissima unius vocis emendatione omni suspitione videantur liberari posse. Huc pertinent

VI, 270—275.

270 Tum gravis illa viro, tunc orba tigride peior,
cum simulat gemitus occulti conscia facti,
aut odit pueros aut ficta paelice plorat,
uberibus semper lacrimis semperque paratis
in statione sua atque exspectantibus illam,
275 quo iubeat manare modo.

Versum 274 O. Iahn cum Ribbeckio secluserit, qui vv. 274—275 quae brevius et acutius expresserit poeta v. 273 inani garrulitate circumscripta ac repetita existimavit: priora quidem „uberibus semper lacrimis semperque paratis“ extenta et misere extenuata esse his „in statione sua atque exspectantibus illam, quo iubeat manare modo“, in quibus etiam displiceat hiatus.

Ab Ribbeckio Iahnii editio eo differt, quod v. 275 servato infinitivus „quo iubeat manare modo“ refertur ad paratis.

Et vero nihil usitatius est quam paratus infinitivo subiecto, ut 207 summitte caput cervice parata ferre iugum; at nusquam mihi occurrere memini exspectandi verbum cum infinitivo consociatum, idemque apud Klotzium ab Reisigio § 448 et a Doederlino Lat. Syn. III 57 iam dudum observatum invenimus. Quod cum ita sit, paratis et exspectantibus non alterum alteri pari dignitate adiunctum esse potest. Itaque quoniam subiunctio cogitari potest nulla, quid quaeso restat nisi ut alterum alteri additum credamus, quo notae rei imago oculis Romanorum excitaretur? Quasi milites in statione sua ducem exspectantes, sic lacrimae mulieris, quo iubeat illa, manare semper paratae sunt. Illa autem sententia hanc opinor postulat formam:

Uberibus semper lacrimis semperque paratis,
in statione sua tamquam exspectantibus illam,
quo iubeat manare modo.

Ita priora non simpliciter extenduntur aut misere extenuantur, sed rei indignitas imagine interposita in ridiculum convertitur. i. e. superioris versus vis augetur. Et compendia atq. (atque) et taq. (= tamquam) eo facilius permutari potuerunt, quia librarii syllabas permixtas transponere consueverant, ut veneremur = reveremur, quieti = equiti, inde = dein, cf. Prolegg. Cic. p. L.⁷⁾

Nec mea opinio ideo reprobat, quod remedio proposito hiatus tolerabilis ille quidem, at molestus certe atque dure ad aures accidens simul tollitur.

Transeo ad locum difficillimum tractatu nec quam proponendam duxi medelam ea satis confido, sed nihil impedit, ne quae sentio libere dicam, ut nisi ipse verum attigero, alii meliora doceant.

VII, 13—16.

Hoc satius, quam si dicas sub indice ‚vidi‘
quod non vidisti, faciant equites Asiani
quamquam et Cappadoces faciant equitesque Bithyni,
altera quos nudo traducit gallica talo.

⁷⁾ Sat. VI 225 sed mox haec regna relinquit permutatque domos et flammae conterit verbum permutandi rem ipsam non satis commode indicat, et propter conterendi verbum alterius imaginis vis ac species desideratur. Itaque cum Pithoeanus permultatque reliquerit equidem hoc ex persultatque errore mutatum esse censeo. Mulier virorum victrix cum exercitu victore in agro hostium maxima vi progrediente facete componitur.

Ita haec nuper Buechelerus ad auctoritatem Pithoeani edidit, ceteri pro gallica adhuc scripserunt Gallia. Qua scriptura, si commoda interpretatione sustineri potest, una et magna difficultas sublata est. Relinquitur primae syllabae in nomine Bithynorum falsa mensura. Iuvenalem enim in errore fuisse vitiumque admisisse, hoc ideo parum credibile est, quod ipse X 162 idem nomen recte usurpatum extulit, praeterea eius mensuram apud Horatium cognoverat, denique Bithynorum gens et nomen Romanis cotidiano usu nota et ore trita fuit. Denique etsi coniunctionis quamquam quattuor verbis subiectae exemplum exstare videtur VI 199, tamen v. 15 tam inconcinnus est, ut suspicionem multis moverit. Accedit repetitio verbi faciant post coniunctionem satis molesta.

Gallicarum notio sic definita est apud Gellium XIII 22, 5: omnia enim ferme id genus, quibus plantarum calces tantum infimae teguntur, cetera prope nuda (h. e. apud Iuvenalem nudo talo) et teretibus habenis vineta sunt, soleas dixerunt, nonnumquam voce Graeca crepidulas. Gallicas autem verbum esse opinor novum, non diu ante aetatem M. Ciceronis usurpari coeptum, itaque ab eo ipso positum est in secunda Antonianarum (§ 76): cum gallicis, inquit, et lacerna cucurristi. Crepidarum multa genera fabricabantur, quae plerumque ex eis nationibus, ubi maxime conficiebantur, nomina traherent, cf. Marquardt Antiq. V 2, 196. Quare ut duae erant Galliae, cisalpina et transalpina, ita gallicae in altera vel transalpina Gallia fabricatae vocari poterant gallicae alterae. Hoc quidem mihi veri similis est quam gallicam alteram ex Galatia tamquam ex altera Gallia denominatam fuisse, cuius dictionis nullum usquam vestigium est. Illud quoque fingi potest, gallicarum duo potissimum in usu fuisse genera, ut apud Mart. XIV 65 soleae lanatae, apud alios taurinae, rursus alios viriles et muliebres commemorantur. Quidquid id est, tantum pro certo adfirmaverim, gallicam magis genuinum esse quam Galliam et traducendi verbum optime convenire ad reprehendendum habitum parum honestum.

Postremo hoc addo, sive quamquam retinendum sive cum quidquid commutandum duxeris, illud utique veri simile est, que adiectum esse ab eis, qui cum faciant ex quamquam pendere putarent, tertium membrum cum superioribus coniunxerint: quamquam faciant equites Asiani et Cappadoces faciant, equitesque Bithyni. In hac structura si vocula que abesset, equites Bithyni extremo loco additum, quo niteretur, non haberet sed istam structuram cum consilio scriptoris discrepare, inde patet, quod VI 198 coniunctivus concessivus aut omnino aliunde non pendet aut concessivo ut, certe non sequenti quamquam particulae inhaeret. Nam illi versus ita interpungendi sunt:

ut tamen omnes
subsidant pinnae: dicas haec mollius Haemo,
quamquam et Carpophoro, facies tua computat annos.

Hoc tamquam parenthesis loco cum ludibrio adicitur: ceterum etiam Carpophoro dicas mollius, ne Haemum unum in hoc genere excellere credas, sicut paulo

infra: ceterum Cappadoces etiam hoc faciant, Asianis certe equitibus non deteriores. Inhonestorum ac turpium hominum profecto nulla est penuria.

Prorsus similiter VII 14 sq. distinguendi videntur.

Faciant equites Asiani,
quamquam et Cappadoces, faciant equites Bithyni.

Haec distinctio paulum differt ab ea structura, quam apud Mayorem proposuit Munro:

Faciant equites Asiani
quamquam et Cappadoces; faciant equites Bithyni.

Ea autem probari non potest propterea, quod hac ratione extremum membrum a coniunctione avulsum tamen sui concessivi vi stare non potest. Munro ipse alterum faciant ex quamquam regi putavit, sed hoc nimis dure et impeditate elatum esset.

VIII, 200—203.

Et illic

dedecus urbis habes, nec murmillonis in armis
nec clipeo Gracchum pugnantem aut falce supina —
damnat enim tales habitus [sed damnat et odit,
nec galea faciem abscondit] — movet ecce tridentem.

Quae ex his uncinis notavimus, ea C. Fr. Hermannus et O. Iahn homines sobrii spuria esse iudicaverunt. Causam si quaeras, vix quidquam aliud reperias, nisi quod sicut illa verba tradita sunt sic parum commodam ceterisque aptam concludere sententiam videntur. Quid enim vocula sed denotari putabimus? Nempe superioris membri enarrationem? At hic usus particulae sed plane a dicendi consuetudine Iuvenalis abhorret! Quare iam pridem fuerunt, qui et damnat et odit corrigendum arbitrarentur. Sed nec iterationis gravitas nec habitus ullius odium satis placet. Quid igitur? An quae parum perspicua et lucida sunt, ideo damnabimus? Immo quidquid obscurum est, quoniam additamenta fere simplicitate sententiae coarguuntur, hoc vel emendando vel interpretando illustrari debet. Quod si quaeritur, cur Gracchus clypei aut falcis tegumenta detrectaverit, cum Iuvenale hoc ideo factum esse respondemus, quod eiecto de fronte pudore dudum dignitatis ac famae rationem omiserit. Pudore autem et dignitate abiectis vivendi causa periit: isti homines quasi ipsi se damnant et ex societate et communione honestorum hominum segregantur. Gracchus igitur semet ipse damnaverit, semet ipse oderat: ideo faciem galea abscondere super-sedit. Emendari enim oportet:

damnat enim talis habitus: se damnat et odit,
nec galea faciem abscondit.

Id quidem saepius in Pithoeani scriptura accidit, ut vocabulis vocabulorum insequentium initia adhaerescerent, id quod multis demonstravit exemplis R. Beer.

Rursus melius interpungi debet.

IX. 3—5:

Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba?
nos colaphum incutimus lambenti crustula servo.

Versum 5 post *Quietum* O. Jahn ex serie excerptum putavit, quia communis scilicet et abrupta sententia propemodum ridicula videretur. Et hoc quidem recte, si isto versu potius communitas iudicii quam rei paulo ante memoratae descriptio contineatur, quod quidem mihi probabilius videtur. Etenim quod factum tetigit *Iuvenalis*, hoc ita evenisse credo. Poeta seu quis alius cum *Naevolo* instituit sermonem, hoc et marito *Rhodopes* ac nescio quibus aliis comitibus in *Rhodopes* aedes intraverunt, moechum deprehensuri. Ibi dum *Rhodope* in cubiculo turpitudinem exercet cum *Ravola*, servi in contiguo conclavi crustula lambentes hilaritati indulgebant. Iam ubi dominus cum amicis supervenit, ipse in cubiculum moechae prorumpit; ceteri interea servum servosve colaphis inflictis proturbant. Quodsi huius rei eventus vere mihi informavi, hunc in modum versus quintum et quartum inter se conciliari et componi debere opinor:

quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda terit inguina barba,
nos colaphum incutimus lambenti crustula servo?

Sat. XI, 77—90 veterum Romanorum in cenis frugalitas, vv. 90—98 supellectilis modus ac tenuitas maximis laudibus efferuntur. Hanc partem digressionis absolvit v. 99:

Tales ergo cibi, qualis domus atque supellex.

Immo vero quales cibi, talis et domus et supellex fuerunt! Nam primum cenae simplicitas laudatur, deinde hoc quasi fundamento nitens supellectilis inopia concelebratur. Ac deinceps etiam in gloria ac laude domesticae tenuitatis insistit et commoratur omnis oratio. Itaque, ni fallor, emendari debet:

quales ergo cibi, talis domus atque supellex.

XI, 147—148.

Non Phryx aut Lycius, non a mangone petitus
quisquam erit: in magno eum posces, posce latine.

Hic ut omittam prorsus obscura esse verba in magno et eis adhaerentibus vim breviter dicti cum posces, posce latine' imminui et infirmari, reliqua quoque sententia reiicienda est, quia Phryges etiam Lyciique a mangonibus venibant. Apud *Martialem* quidem VII, 80 *Mytilenaei* roseus mangonis ephebus memoratur. Epitheton igitur mangoni addi oportet, ac nescio an dici potuerit: non a mangone petitus quisquam erit Armenio. Hoc nomen quamvis incertum sit, satis tamen universum illud enuntiatum iniuria a *Quieto* et *Jahnio* eiectionem esse documento est.

XIV, 227—232.

Nam quisquis magni census praecepit amorem,
 et laevo monitu pueros producit avaros,
 et qui per fraudes patrimonia conduplicare,
 dat libertatem et totas effundit habenas
 curriculo, quem si revoces, subsistere nescit
 et te contempto rapitur metisque relictis.

Paulo ante vv. 190—209 demonstratum erat, liberos a patribus recentis aevi ad studium ac laborem assiduum acquirendi solere impelli: unde habeas quaerit nemo, sed oportet habere. Deinceps (210—226) patrem sic festinantem poeta monet: dementem esse hanc disciplinam, brevi fore, ut filius patrem praetervectus nec falsa testimonia nec periuria nec uxoris necem vereatur. Tum patrem cum gemitu dicturum, haec se nec voluisse nec suasisse, at semina tamen malae mentis quin ab ipso iacta sint, negari non posse. Pater igitur ad avaritiam et fraudem instituerat filium, filius ad nefaria scelera ipse processit. Inde apparet versibus 227 sq. contineri totius complexionis protasin, apodosin autem a medio v. 230 incipere post libertatem hoc modo incisam:

et qui per fraudes patrimonia conduplicandi
 dat libertatem, totas effundit habenas etc.

Qui libertatem dat fraudis, sceleris libidinem concedit atque progignit. Nec illud casu factum videtur, ut in Pithoeano et in Wirzii Centone legatur conduplicari, unde si activi infinitivum, ut fieri solet, effinxeris, ne verborum structura lacerata offendat, admodum vereor. Vitio autem isto suborto et inseri coeptum est, quo carere non potuerunt ei libri, quibus v. 229 exciderat.¹⁾

XV, 97—103.

Huius enim, quod nunc agitur, miserabile debet
 exemplum esse cibi, sicut modo dicta mihi gens
 post omnes herbas, post cuncta animalia, quidquid
 cogebat vacui ventris furor, hostibus ipsis
 pallorem ac maciem et tennes miserantibus artus,
 membra aliena fame lacerabant, esse parati
 et sua.

Genetivum huius non modo molestum, sed prorsus incongruum et insociabilem esse, libens concedo Ribbeckio p. 48, contra quem quod adnotavit Palmius (Progr. Nordhausen 1882 p. 11), ille quidem probe sciebat. Sed nescio an huius enim

¹⁾ Haud absimili errore deformatur etiam nunc XI, 75 siccatum frigore postquam autumnum et crudi posuere pericula suci, ubi autumnum ponere quid sit intellegitur, non item autumnum frigore siccatum ponere, quia hoc illi contrarium et adversum est. Ego sic sentio: siccatu natum esse ex siccanti (frigore).

depravatum sit ex cuiusvis nam, cum praesertim hoc altero quoque (XI, 21) loco apud Iuvenalem postpositum inveniatur: in Rutilo nam luxuria est. Porro vocabulum sicut pro siquidem positum aliquam saltem similitudinem habet VI, 107 praeterea multa in facie deformia: sicut attritus galea mediisque in naribus ingens gibbus et acre malum semper stillantis ocelli.

His quae adhuc disputavimus illud quod supra posuimus comprobatum opinor, multos Iuvenalis versus, quia spurii viderentur, a criticis plus quam par erat neglectos esse. Nunc vero non minus nocens error est eorum, qui, cum Iuvenalis senior iam scripserit, ei maxima ac prope horrenda sermonis vitia contribuunt. Sane non omnia perfecta aut satis elaborata videantur, sed quamvis multa redundant aut ebulliant, nihil tamen temere, nihil inepte, nihil contra vulgarem artem dictum arbitror. Atque eo magis in iudicando modus adhibendus est, quod Iuvenalis liber nequaquam integer et purus nobis tractatur: haud parva pars vitiosa etiam nunc ad emendandum relinquitur, alia nostram curam omnino effugiant. Quis enim unquam in vitiis investigandis tam felix fuit, ut, quod nunc membranorum ope repertum est VIII, 148, hoc coniectura inveniri potuisse confidat? Quam multa praeterea uno nuper codice Pithoeano acrioribus oculis et intentiore studio iterum excusso vel illuminata vel correctata sunt! Haec qui secum reputaverit, cautius de poetae ingenio existimabit nec rugas etiam nunc inspersas, si facili negotio fieri possit, e vultu eximi recusabit.

Itaque vitiorum vel errorum aliquot genera explicabo, quibus complures Iuvenalis loci adhuc deformes suspicionem moveant. Ac primum veteris scripturae ratione contigit, ut haud raro SET et SEI, hoc est sed et si in libris manuscriptis permutterentur. Huc pertinere videtur

VI, 329—331.

iam fas est, admitte viros, iam dormit adulter:
 illa inbet sumpto iuvenem properare cucullo;
 si nihil est, servis incurritur.

Haec qui auribus potius conceperit quam oculis aspexerit signa verbis adpicta, omnia unum eundemque mulierum clamorem conficere cogitabit, quasi impetum in dormientem adulterum facturae videantur feminae. Sed oratio ita conformata est, ut clamorem mulieris subsequatur rei assumptae subiectio. Quare mulieris exclamatio et poetae subiectio natura ac re diversa sermone variata aliquid differre debent. Et exstat in PS si iam dormit, in quibus altera eademque posterior manus (p) delevit iam, reliqui dormitat effinxerunt. Pithoeo ipsi iam recipere placuit, quia videlicet contraria illa: si dormit adulter — si nihil est falso se exciperent, quasi nihil adulteri suppleri deberet. Rerum tamen ordo facilis est ad cogitandum. Princeps mulierum tandem ancillam viros admittere iubet. Iuvenis adulter ad eundem locum advenire praemonitus non in tempore praestituta hora tarditate quadam vel oscitantia ad ianuam apparet. Ibi mulier ipsa cucullo sumpto in vestibulum atque in plateam procedit, ubi cunctatorem excipiat et ad velocitatem impellat. Quodsi nihil

est, quod ad libidinem explendam arripi possit, servis mulieres istae incurrunt; hac quoque spe frustrata introducitur aquarius; si virorum nulla potestas sit, postremo ad bestiarum amorem descendunt. Videmus varias deinceps prurientis libidinis formas et facultates poni hypothetice. Haec assumpta vario modo efferuntur, per si, per coniunctivum potentialem, rursus per si; initio quidem per indicativum, cum quo quae vocula coniuncta fuerit, id quaeritur. Adverbium iam orationis colori parum convenire supra diximus. Accedit quod eodem falsa rei species animis lectorum obicitur. Nam si iuvenem dicas iam dormire, hoc significari credo, adulterum iam domi suae cubitum iisse et somno oppressum iacere. Sed nec domi eum abesse nec somnum quaerere cogitabimus, sed inertiam quandam aut pigritiam adventantis designari arbitror. Nec mulierem libidinosam in domum atque ad lectum adulteri abeuntem nobis informabimus, sed in publicum prodeuntem et, si fieri possit, hominis gradus accelerantem. Quare nec si nec iam verum est: immo parvum vitium irrepsisse opinor hoc modo tollendum: **sed** dormit adulter. Eandemque assumendi formam habes VI 38 **sed** placet Ursidio lex Iulia, VI 279 **sed** iacet in Sergi complexibus aut equitis, II 70 **sed** Iulius ardet, aestuo, IV 72 **sed** derat pisci patinae mensura, VII 32 **sed** defluit aetas, VII 105 **sed** genus ignavum, X 318 **sed** tuus Endymion dilectae fiet adulter matronae.

Simili librariorum errore corruptus est v. 178 saturae XIII:

abreptum crede hunc graviore catena
 protinus et nostro — quid plus velit ira? — necari
 arbitrio: manet illa tamen iactura, nec unquam
 178 depositum tibi sospes erit, sed corpore trunco
 invidiosa dabit minimus solacia sanguis.

Difficultatem versus 178 declinavit Hertzberg hac versione:

— — der Verlust bleibt doch, und das Darlehn
 Stellt nicht wieder sich ein. Zwar fließt aus enthauptetem Rumpfe
 Weniges Blut zum Trost, doch ist ein gehässiger Trost das.

Aliquanto apertius Siebold:

— — doch bleibt der Verlust und es kehret
 Nie das Vertraute zurück, nur werden dir wenige Tropfen
 Bluts am verstümmelten Leib zum gehässigen Troste genügen.

Hoc si ita esset, loquacitatis crimen Iuvenalem adgravaret: iactura manens et depositum nunquam sospes idem profecto esset. Nec pervideo, quomodo dici aut cogitari possit: nec unquam depositum tibi sospes futurum, sed sanguinem solacium cum invidia daturum: immo sanguis si fluat, ideo depositum non sospes futurum et solacium aliquid invidiae habiturum.

Quare SET ex SEI (= si) ortum esse credo:

nec unquam
 depositum tibi sospes erit, si corpore trunco
 invidiosa dabit minimus solacia sanguis.

Corpore trunco idem fere est, quod copore truncato. Minimus autem sanguis quid indicet vel circumscribat, adhuc ambigitur. Aliis enim locis senectutis imbecillitatem minimo sanguine uti dicitur, ut X 217 praeterea minimus gelido iam in corpore sanguis febre calet sola, vel Ovid. m. VII 315 et exiguo maculavit sanguine ferrum (sc. maximus aevo dux gregis). Sed sceleratum hominem poenas dare grandaevum nusquam dicitur. Itaque relinquitur, ut sanguinis exiguitas cum damni compensandi magnitudine comparetur, quod plerique interpretum suo iure amplexi sunt.

XI, 131—143.

Adeo nulla uncia nobis
est eboris, nec tessellae nec calculus ex hac
materia, quin ipsa manubria cultellorum
ossea. non tamen his ulla umquam obsonia fiunt
rancidula, aut ideo peior gallina secatur.
sed nec structor erit, cui cedere debeat omnis
pergula, discipulus Trypheri doctoris — —
142 nec frustum capreae subducere nec latus Afrae
novit avis noster.

Pro vulgari horum versuum interpunctione enuntiatum illud 'aut ideo peior gallina secatur' ad sententiam antecedentem 'quin ipsa manubria cultellorum ossea' referendum est. Nec hanc relationem fieri posse negari potest. Sed quod iam sequitur sed nec structor erit, hoc tam aspere et abrupte a superioribus avulsum est, quasi gallinae secandae ratio ad structoris officia nihil pertineat. Interpretes quidem illud sed in versione plane neglexerunt.

Atqui gallinae saporem structoris artificio et elegantia aut augeri aut minui, hoc maxime docent V 120—124:

structorem interea, nequa indignatio desit,
saltantem spectes et chironomunta volanti
cultello, donec peragat dictata magistri
omnia, nec minimo sane discrimine refert,
quo gestu lepores et quo gallina secetur.

Accedit quod v. 142 'nec frustum capreae subducere nec latus Afrae novit avis noster' nihil habet quo vel coniungatur superioribus vel nitatur: adeo abrupta adglutinatur haec pars totius descriptionis.

Quare ut v. 58 recte in P. si laudem siliquas, in ceteris sed traditur, ita v. 136 in ipso Pithoeano sed ex SET (si) scripturae similis errore subortum existimo, quod si restitueris omnes asperitates dilabuntur omniumque enuntiatorum cohaerentia aptissime concluditur: non tamen his ulla umquam obsonia fiunt rancidula, aut ideo peior gallina secatur, si nec structor erit, cui cedere debeat omnis pergula, nec frustum capreae subducere nec latus Afrae novit avis noster. Et Iuvenalis quoque structore

utitur, non discipulo Trypheri doctoris, sed domestico et bono servulo. Particulas si — ideo (iccirco) saepius hoc ordine, sed tamen inverso quoque ordine locatas mutua relatione contineri demonstraverunt Haud Tursell. III 181 et Wichert de sermonis latini eleg. 380, accuratum vero exemplum suppetit Plant Rud. 700: ne in-
visas habeas neve iccirco nobis vitio vortas, si quidpiamst minus quod bene esse lautum tu arbitrere.

Certe molesta et extenta propendet parenthesis, relativo enuntiato inclusa, apud quem usque ad ‚Subura‘, sed huiusmodi digressiones tamquam indignitatis aut risus adminicula admodum amavit Iuvenalis, cf. III 13–16, 18–20.

Nec minus raro ut si et sed, permutari solebant sic-sed, cuius rei memorabile exemplum exstat VI 120, si quidem verissime emendavit O. Ribbeck:

Sic nigrum flavo crinem abscondente galero ¹⁾
intravit calidum veteri centone lupanar
et cellam vacuum atque suam.

Nec enim contigit R. Beerio (Spicil. Iuv. 68 sq.) ut Pithoeani sed sospitaret, nec deteriorum librorum et Servii tanta est auctoritas, ut modorum ratio ac descriptionis indignitas contemnantur. At contra non video, cur nuper sed in sic mutaverit Gertz apud Senecam de tranq. an. 3: non est quod dicas omnium virtutum (A primo virtutum videtur habuisse, non virtutum) tenera esse principia, non ignoro etiam quae in speciem laborant, mora convalescere; et quae veras vires parant et quae ad placendum furo quodam subornant expectant annos. Sed ego vereor, ne consuetudo, quae rebus adfert constantiam, hoc vitium mihi altius figat.

Haud absimilis est in manuscriptis permutatio vocularum SEV et SET. Eam mihi bis in una satura VIII, nusquam in ceteris, deprehendisse videor.

VIII, 36.

Nomen erit pardus tigris leo, seu (si libri) quid adhuc est
quod fremat in terris violentius.

VIII, 108–111.

Nunc sociis iuga pauca boum, grex parvus equarum
et pater armenti capto eripientur agello,
ipsi deinde Lares, si quod (sc. in his) spectabile signum,
seu (libri si) quis in aedicula deus unicus.

Unius litterae permutatio pulcherrimae sententiae nescio quid humile aut pedestre aspexit. Cf. Catull. 82,4. 22,13. 23,13. 42,14.

¹⁾ Cucullum Messalina sumpserat, ut curiosorum oculis ignotam se subtraheret. Sed in cellam intravit flavo exornata galero, quo pulchritudinem ac venustatem augeri putaret. Hoc iam dudum viderat Manso. Comparasse iuvat Propert III 18b, ubi vv. 29–30 hunc in modum correxerim:

Dementi certe poteris formosa videri,
Mi formosa sat es, si modo saepe venis.

XIII, 208.

Has patitur poenas peccandi sola voluntas.

Hoc congruere cum ratione negare non possumus; sed sola illud, cui voluntatis eventus opponatur, quamvis hic ipse iam in uno nomine voluntatis contineatur, potius rhetorem quam poetam sapit. Quare cum in Pithoeano traditum legatur saeva voluptas, malim corrigere laeva voluntas, cum praesertim Iuvenalis ipse XIV 228 laevo monitu, Persius II 53 pectore laevo dixerint, denique Vergilianum illud 'si mens non laeva fuisset' quasi ultro mentibus lectorum obversetur.

Itemque unius litterae errore sublato nescio an emendetur locus conclamatus

X, 84.

Quam timeo, victus ne poenas exigat Ajax
ut male defensus.

Nam si quis haec iudicio non prooccupato legerit, ut Scholiasta recordabitur caeco Tiberii furore post Seiani interitum in magnam senatus partem esse saevitum propterea quod aut ultro consilia cum proditore infestissimo communicassent aut principem parum a proditoris dolis et sceleribus defendissent.

At enim princeps non victus fuit, sed victor exstiterat! Hoc recte monuit Madvicus (Op. I 44 sq.). Quodsi ipse hunc in modum enarravit: 'is qui a Iuvenale loquens inducitur, cum Bruttidium sibi pallidum et anxium — non cum ad mortem duceretur, sed cum ruinam ad se perventuram praevideret — occurrisse dixisset, ridicule admodum de homine inimico (??), quem antea cum irrisione (?) Bruttidium suum appellaverat, quasi miserans, quam timeo, inquit, ne Ajax (i. e. declamatio Bruttidii pro Aiace) poenas exigat; mortem Bruttidio impendere significat, poenam frigidae declamatiunculae inmissam ab Aiace inepte defenso', haec explicatio et cum tenore totius sermonis — potentiae enim discrimina, non rhetorum pericula exponuntur — et cum timore discrepat ipsius conloquentis et amicum adhortantis: curramus praecipites et calcemus Caesaris hostem. Hostem quidem istum non Bruttidium sed Seianum esse patet. Atque his verbis simul indicatur, tantum tamque caecum et rabidum esse Caesaris furorem, ut nemo iam Romanus, quamvis innocens aut humilis sit, tuto vivere posse videatur. Quodsi sub Aiace nomine Caesarem latere necesse est, huic autem rationi adiectum illud victus adversatur, in hoc uno epitheto sedem corruptelae quaerendam esse apparet.

Itaque fuit, qui victorem potius quam victum Caesarem appellari et victor scribi debere putaret. At hac violentia corrigendi causa et origo corruptelae haudquam explicatur.

Ego victus ex victis facili librarii cuiusdam errore mutatum esse pono. Iam duplex via emendandi patet. Nam aut hoc solum scripsit Iuvenalis:

Quam timeo victis, ne poenas exigat Ajax,

aut praeposita a simul excidit:

Quam timeo, a victis ne poenas exigat Ajax.

Utrumque cogitari potest, utrumque potuit dici: victi quidem iidem dicuntur utraque locutione. Quos igitur istos fuisse putabimus? Primum credo Seiani amicos vel potius senatus aut maiorem partem aut totum ordinem. Sed quoniam is, qui cum altero conloquitur, sibi quoque periculum instare profitetur, hoc pavore indicatur in tanto Caesaris furore neminem Romanum securum esse posse et omnes quasi vinculis constrictos teneri. Simili rabie ab Aiace saevitum est in totum Achaeorum exercitum. Apud Sophoclem quidem ubi Ulixes (v. 42) interrogavit:

τί δῆτα ποίμνας τήνδ' ἐπερπίπτει βράν;

Minerva respondet:

δοκῶν ἐν ὑμῶν χεῖρα χραίνεσθαι φόνο.

Ad haec mirabundus Ulixes:

ἤ καὶ τὸ βόλευμ' ὡς ἐπ' Ἀργείοις τόδ' ἦν;

Et rursus Minerva (v. 95) Aiace adloquens:

ἔβραψας ἔγχος εἰς πρὸς Ἀργείων στρατῶ.

Quem ad modum Ajax a principibus poenam repetiit, sed mentis furore exagitatatus totum exercitum (i. e. pecora) cruento telo invasit, sic Tiberius amicos quidem Seiani et coniuratos ulcisci voluit, sed furor eius tantus erat, ut periculum videretur, ne omnes Romanos tamquam noxios et devictos delere atque extinguere vellet.

Ex duabus, quas supra proposui, lectionibus quin prior eligenda sit, mihi dubium non est: adeo illa et originem explicat erroris et cum consilio poetae congruit. Atque cum dativo consociavit Iuvenalis timendi verbum VI 17, sed hic usus maxime percrebruerat nec exemplorum adminiculis indiget. Rarius sane fiebat, ut timendi vel metuendi verba simul cum dativo et cum obiectiva sententia coniungerentur, at fiebat tamen, et exemplum idoneum est apud Plaut. Asin. 112: nemo est, quem iam dehinc metuam mihi, ne quid nocere possit.

Denique absolute dictum poenas exigere exstat in decima Iuvenalis 187: has totiens optata exegit gloria poenas!

VI 279–281.

Sed iacet in servi complexibus aut equitis, dic,
dic aliquem, sodes, hic, Quintiliane, colorem.
haeremus, dic ipsa.

Mirum profecto, mulierem modo nuptam et maritum suum iurgiis lacrimisque vexantem libidine eo subito deduci, ut ad servi amorem descendat. Nam quamvis saepe Romanae uxores servorum amoribus indulserint, tamen ingenuorum studia anteponenda duxisse el ucet ex VI 331 si nihil est, servis incurritur. Illud quoque suo iure O. Ribbeck (p. 170) monuit, optionem inter servum aut equitem quemlibet datam minime Iuvenalis consuetudini convenire videri. Nec equitis commemoratio summum locum significare nec servi complexus ultimam et extremam nequitiam significare potest, cf. VI 332 sqq.

Nec in servi amore, id quod v. 378 ab uxore factum arguitur, litterae acceptae missaeque probabiles fiunt. Mirabilior etiam est scholiastae dnotatiuncula ad servi nomen: *liberti, qui ad hanc venerit libertatem*?

Despiciabantur sane liberti haud raro tamquam servi et sic vocabantur, sed solum servi nomen, si nihil praeterea accesserit, liberti speciem praebere non potest. Ex Scholiastae nota colligitur eam initio ad proprium nomen adscriptam fuisse. Personae nomen equiti ex adverso positum facile libertum domus continere poterat videri. Atque ita esse credo, praeterquam quod libertum procul arcendum existimo. Qualis enim illa moecha descripta est, delicias sequebatur elegantis vitae, id quod intellegitur ex v. 281 *olim convenerat, inquit, ut faceres tu, quod velles, nec non ego possem indulgere mihi*. Eius modi pacta non cum servorum amore congruunt, sed altioris vitae mores redolent, iuvenum equestris loci aut artificum exquisitas delicias significant. Quare servi ex Sergi natum esse mihi veri simile est. Sergium autem ludium, non libertum fuisse non est profecto, quare argumentis probem, cf. 6, 105. 112.

Genetivi forma monosyllaba constanti Iuvenalis usui in nominibus propriis in — ius exeuntibus plane conveniens est, ut VII 12 *Alcithoen Pacci*, VII 150 *pectora Vetti*, VIII 228 *Domiti*, XIII 119 *Vagelli*; semel (VII 130) *Tongilii* contra illam dicendi consuetudinem reperitur.

Sed insequens quoque versus parvulum vitium traxit. Vix enim verum et sincerum est, quod ante apotrophen Quintiliani hic potius adverbium ponitur quam dic verbi imperativus. Quotiens quidem Iuvenalis hac utitur figura, semper vocativis imperandi modum praeposuit, ut 393: *dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime divum, respondes his, Iane pater?* VIII 56 *dic mihi, Teucrorum proles*, IX 54 *dic, passer*, XIV 211 *dic, o vanissime, quis te festinare iubet?* XIII 33 *dic, senior bulla dignissime, VI 29 uxorem, Postume, ducis? dic, qua Tisiphone, quibus exagitare colubris?* Multum differunt ii loci, ubi certa quaedam persona non vocatur neque appellatur, ut VII 106 *dic igitur, quid causidicis civilia praestent, vel X 338 quid placeat, dic.*

Quodsi verbi imperativus ante Quintiliani apostrophen requiritur, duae ad emendandum viae patent. Aut altero et tertio loco dic iteratur, cuius iterationis repetitae nullum est exemplum; aut hic transponitur sede mutata:

dic

hic aliquem, sodes, dic, Quintiliane, colorem.

Et hoc inde commendatur, quod adnectitur imperativus: *dic ipsa.*

X, 54—55.

Ergo supervacua aut quae (om. codd.) perniciose petuntur?

Propter quae fas est genua incerare deorum?

Ita hos duos versus in Mus. Rhen. n. s. XXXIV 355 sq. constituendos putavit Fr. Buecheler, itaque nuper edidit, nisi omnia me fallunt, infelicissime. Quod ut

intellegatur, summam totius satirae maximeque prooemii accuratius repetere et enarrare necessarium est.

Quia homines, quid vere bonum malumve sit, fere nesciunt, ideo multa illi cupiunt aut timent, sed cum nihil ratione expetant aut paveant, conatus votique eos peracti (non solum impetrati) postremo paenitere solet.

Nimia quidem pecunia congesta divitiaeque coacervatae multis perniciem attulerunt afferuntque. Ac tamen hominibus innata cotidie renovatur eadem cupiditas.

Quare philosophis aliis vita humana videbatur miseranda et lacrimosa, aliis inepta et ridicula, nihil vero ineptius esse quam inanem Romanorum ambitionem et praetoris splendorem triumphalem. Sed multo iam ante istam Romanorum levitatem Democritus curas et gaudia lacrimasque hominum ridebat, quia videlicet Fortunam contemnere animumque liberum et erectum sibi servare didicerat. Ergo supervacua est Fortuna, aut (si quibus supervacua non est) ea petuntur, quibus impetratis homines eo deducuntur (propter quae = quae in causa sunt), ut diis supplicantes genibusque advoluti malorum votis contractorum vim exitiosam deprecari debeant. Adeo exitiosus est hominibus votorum eventus!

Quosdam praecipitat potentiae invidia, alios vis eloquentiae, multos bellica laus et gloria, rursus alios vitae longae desiderium, non paucos denique pulchritudo et corporis forma. Ad extremum ita concluditur: Optimum esse nihil optare omnesque curas numinibus permittere, si quid tamen utique poscere velis, orandum esse, ut in sano corpore mens sana (i. e. animus tranquillus et fortis) sit. Sed hoc quoque homines sibi ipsos dare posse. Ergo, si prudentia utantur, Fortunam non modo supervacua esse sed nullum omnino numen habere.

Haec si totius satirae summa recte adumbrata est, in fine prooemii corrigi oportet:

Ergo supervacua est, aut perniciosa petuntur,
propter quae fas est genua incerare deorum.

At deorum genua incerare quid tandem est nisi vota in cereis tabellis concepta deorum genibus adfigere? Ita sane fieri solebat. Sed precantes genibus simulacris deorum advoluti genua eorum, misericordiae partes, amplexantes si propter vota peracta contingerent et votis novis cumularent, hac scilicet genuflexione rogabant misericordiam vel deprecabantur mortem aliaque pericula, quae ex votis impetratis tamen impenderent.

Nam si quis supplex ac demissus deorum misericordiam sibi salutem exoraret, quidni, ut reum se facturum, idem vota susciperet susceptaque in genibus deorum alligaret? Ita Psyche apud Apuleium VI 4 genu nixa et manibus aram (Iunonis) tepentem amplexa sic adprecatur: Magni Iovis germana et coniuga, sis meis extremis casibus Iuno Sospita meque in tantis exanclatis laboribus defessam imminentis periculi metu libera.

Eadem circa videt in templo dona pretiosa et lacinias auro litteratas ramis arborum postibusque suffixas.

Non comparari debuerat Prud. c. Symmachum I 203: saxa inlita ceris viderat unguentoque lares humescere nigros: haec quidem minime ad supplicationem pertinent, sed prorsus simile est Prud. Apoth. 457: soleas Iunonis lambere, plantis Herculis advolvi, genua incerare Dianae, quod quidem significat misericordiam Dianae genuflexione implorare.

Denique propter quae non τούτων ἕνεκα sed διὰ τούτων vel δι' αὐτῶν esse fusius exponere supersedeo: hoc enim omnibus notum est. Fas est = ὄσιον ἂν εἶη.

Rursus est falso additum mihi videtur in hac rationis complexione

XIII, 100^{*}—102.

Ut sit magna, tamen certe lenta ira deorum est;
si curant igitur cunctos punire nocentes,
quando ad me venient?

Eorum quae antecedunt hic est ordo. Hominum sceleratorum duo sunt genera. Unum est eorum, qui cum deum esse negent omniaque naturae vi volvi credant, divinam poenam omnino non timent. Alii poena ne crimen sequatur metuunt quidem, sed tamen hac ratiocinatione animum trepidum confirmant: Etiam si dii scelus ulciscantur, at nummos crimine partos tanti esse, ut morbum quemlibet perferas. Quamvis magna sit ira deorum, tamen certe lenta (tarda) est. Quare si cunctos nocentes punire curant, quando ad me venturi sunt?

Exspectaveris: tamen tanta scelerum multitudo est, ut dii, si omnia punire curent, sera me poena consecuturi sint. Nec ex tarditate deorum, sed ex scelerum numero colligitur serae poenae probabilitas. At deorum tarditas multum eo confert, ut sceleribus haud facile, certe non celeriter poenas attribuere liceat.

Certe ita est. At lentitudo tarditati propinqua, non ipsa tarditas est. Lentus ut ab omni perturbatione liber et quietus, ita non celer est ad irascendum, at idem non modo patiens, sed etiam pertinax est propositi.

Itaque ex lenta deorum ira e contrario colligitur, eos quamvis tarde progrediantur, tamen ad extremum sceleratos certo consecuturos.

Adde quod sceleratus lentam deorum iram esse sibi sperare, tamen non pro certo ponere potest. Denique me pungit tamen contra versus incisionem cum certe coniunctum et ante certe collocatum. Nam etsi semel atque iterum certe tamen latine sociatur, cf. Handii Turs. II 26, nusquam tamen inversum ordinem meminisse inventum esse.

Multo planior, opinor, oratio fiet sic ordinata:

Ut sit magna tamen, certe lenta ira deorum:
si curant igitur cunctos punire nocentes,
quando ad me venient?

Paulo ante homo sceleratus animum consolatus divitiis scelere partis valetudinis aliquod damnum a dis inmissum facile compensari ac tolerari dixerat. Iam secum reputat: tamen iram deorum et poenam inde missam magnam esse posse. Id ubi

dixit, quoniam trepidanti animo parum gratum et iucundum est, terrorem elevare studet his restrictive adiunctis: vel si non magnam, certe lentam (= pertinacem) esse posse deorum iram. Sed sane ita sit. Si dii, qua sint pertinacia, omnes punire perstiterint, saltem sero ad ipsum perventuros.

X, 232—236.

— — sed omni

membrorum damno maior dementia, quae nec
nomina servorum nec vultum agnoscit amici,
cum quo praeterita cenavit nocte, nec illos,
quos genuit, quos eduxit.

Dementiam tamquam hominis vivi specie indutam nec servorum nomina nec amici vultum agnoscere dici facile ac tolerabile est; intolerabile vero est eandem dementiam accumbere et cenare, denique prolem genuisse atque eduxisse. Ista commenta profecto prodigiosa sunt, et ab Iuvenalis simplicitate multum discrepant. Quare quae vitiosum esse iudico. Et hoc ex qua profectum esse cogitaveris. At hoc non licet propterea, quod, qui antea senes describuntur, varii et diversi sunt virium damnis et valetudinis incommodis. Quare cum qui nimis durum esset, haud improbabile est illud quae (= que = quo) ex cum ortum esse. Simulque malim: nec ipsos, quos genuit, quos eduxit. Pronomina ipse et ille in Ciceronis libris saepissime permutata sunt. In Iuvenalis libris mihi ille suspectum est I 97 pro: ipse tamen faciem prius inspicit, praeterea XV 105 praeferam: et quibus ipsorum (codd. illorum) poterant ignoscere manes, quorum corporibus vescebantur, ut paulo ante v. 100 hostibus ipsis pallorem ac maciem et tenues miserantibus artus recte dictum et traditum est. Relativorum qui quod quo quem (cum) permutationis plura exempla protuli in Prolegomenis meis Cic. artis rhet. p. LI sq., alia suppeditabit Gertz in proleg. Senecae dial. p. XXI et in indice p. 436. Idemque a librariis Iuvenalis aliquot locis peccatum esse arbitror.

X, 103—107.

Ergo quid optandum foret, ignorasse fateris
Seianum; nam qui nimios optabat honores
et nimias posebat opes, numerosa parabat
excelsae turris tabulata, unde altior esset
casus et impulsae praeceps immane ruinae.

Iuvenalis non hoc eloqui voluit, qui nimios optaverit honores, eum numerosa tamquam excelsae turris tabulata paravisse, sed illud potius, quo quidque tempore optaverit, eo semper novum ab Seiano tabulatum excitatum esse. Hoc quidem utriusque enuntiati imperfectis, optabat et parabat, satis aperte indicatur. Eandemque dicendi rationem consequitur noster XIV 235: cum dicis iuveni stultum, qui

do net amico, qui paupertatem levet attollatque propinqui, et spoliare doces et circumscribere et omni crimine divitias acquirere. Praeterea conferas et componas velim Hor. s. II 3, 90, quid ergo sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo heredes voluit? vel 202: insanus quid enim Ajax fecit, cum stravit ferro pecus? vel 211: Ajax cum immeritos occidit desipit agnos: cum prudens scelus ob titulos admittis inanis, stas animo et purum est vitio tibi, cum tumidum est cor?

At contra IX 96—97.

Qui modo secretum commiserat, ardet et odit,
tamquam prodiderim, quidquid scio,

quia obiectivum ad odit et causa suspicionis in alterum, tamquam prodiderit aliquid, aliter cogitari nequit, qui in cui mutandum esse censeo. Lubrica res est ad diiudicandum

XIV, 119—122.

Et pater ergo animi felices credit avaros,
qui miratur opes, qui nulla exempla beati
pauperis esse putat; iuvenes hortatur, ut illa
ire via peragant (cf. Pers. 5, 138) et eidem incumbere sectae.

Primum veri simile non est, ut eodem deinceps ordine dicatur et pater ergo felices credit avaros — iuvenes hortatur, illud commune, hoc proprium. Immo aliquid agendo pater iuvenes hortatur. Accedit quod formula et — ergo, sicuti I 15 sic hic quoque plenam et absolutam sententiam inducit, ut relativa deinceps enuntiata adnecti et adiungi non possint. Ista igitur protases ut apodosin trahunt: iuvenes hortatur. Nec vero horum enuntiatorum subiectum discrepare potest cum eo patre, cuius commemoratio et praemissa et vv. 123 sq. subiuncta atque iterata est. Quare nescio an duobus locis relativa qui commutanda sint cum coniunctionibus cum. Sed dubitanter hoc pono, quia totum hunc locum etiam alio modo enarrari licet.

Nec minus haereo et dubito in XIV 92:

Dum sic ergo habitat Cretonius, imminuit rem.

Cretonius enim non sic habitat, sed sic agit (cf. VI 475 toto quid faciant agitentque die, I 9 quid agant venti), non splendide habitandi studium ei exprobravit Iuvenalis, sed multa et magnifica aedificandi ardorem nimium reprehendit, et easdem delicias ac fastidia filius dicitur imitatus opes paternas fregisse, non habitando, sed villas novo lapide attollendo.

II, 43—44.

Quodsi vexantur leges ac iura, citari
ante omnes debet Scantinia.

Illud nuper recte demonstravit Vahlen, quod O. Iahnus proposuerat at iure, hic stare non posse; idem erravit, quod ac iura reponi debere dixit. Nam hic solum

res propalam in iudicio agitur, et quae sequitur lex Scantinia illa verba interiecta tamquam aliena et molesta respuit et excludit. Aliud igitur quidpiam in vestigiis Pithoeani acturae quaerendum. Ac primo mihi occurrit actore, sed iste ablativus sine attributo stare non potest. Nunc non dubito, quin recte clamore restituatur, ut supra v. 37 dictum est clamantem totiens ubi nunc lex Iulia? dormis?, vel XIII 31 nos hominum divumque fidem clamore ciemus. Nam ut ac iura supervacuum moleste sententiam onerat ac turbat, ita sine clamore verbum vexandi solum aegre intellegitur nec oculis animisque audientium certam imaginem repraesentare potest.

XIV, 140—144.

— — Ergo paratur
altera villa tibi, cum rus non sufficit unum,
et proferre libet fines maiorque videtur
et melior vicina seges, mercaris et hanc et
arbusta et densa montem qui canet oliva.

Cur fines proferre libet? Quia videlicet avaris, quidquid possident, angustum videtur. Hoc non expressit poeta, quia paulo ante semper plura et maiora habendi studium tamquam proprium avaritiae vitium notaverat: crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crevit. Itaque nihil novi certe adferatur, si avaritiae unum rus non sufficere dicatur, cum interim ei nihil unum in ullo genere sufficit. Immo avarus alteram sibi parat villam, quia unam possidere immensae illius aetatis luxuriae iam turpe et paene plebeium videbatur. Ad hoc iudicium, ad hanc superbiam luxus in dies crescentis propius accedimus, si haec ab Iuvenale scripta fuisse statuimus: ergo paratur altera villa tibi — cui rus nunc sufficit unum? —, et proferre libet fines etc. Nec hanc opinionem meam fundamento veritatis carere eo probatur, quod nunc demum et indicativus sufficit stabilitur — vulgaris scriptura necessarium flagitaret coniunctivum — et prior enuntiatio cum altera sententia artius et melius conciliatur.

X, 293—295.

Sed vetat optari faciem Lucretia, qualem
ipsa habuit; cuperet Rutilae Verginia gibbum
accipere atque suum Rutilae dare.

Id quidem nunc constat in Pithoeano non suam, sed suum exstare, quod quoniam nullo modo tolerari potest, quem ad modum corrigi debeat, quaeritur. Mihi, ut in Copa 36 librorum scripturam ista verissime in ossa mutavit Ilgenus, sic hoc loco atque ex osque videtur natum esse:

osque suum Rutilae dare.

X, 191—195.

deformem et taetrum ante omnia vultum
dissimilemque sui, deformem pro cute pellem
pendentesque genas et talis aspice rugas,
quales, umbriferos ubi pandit Thabraca saltus,
in vetula scalpit iam mater simia bucca.

Hanc foedam miserae senectutis speciem quotienscumque animo consideravi, semper offendit talis, quod in comparationibus ante qualis usurpari non solet nec expressam oculis imaginem subicit. Quare cum Claudiani, qui etsi liberius tamen non minus saepe quam Ausonius aut Prudentius imitatus est Iuvenalem, legebam in Eutr. I 38: „postquam deforme cadaver nactus et in rugas totus defluxit aniles“, statim mihi occurrit, eum in suo exemplari Iuvenalis habuisse et aniles aspice rugas. Deinde in maiore Iahnii editione inveni adnotatum: „et aniles N. Heiusius apud Burm. Anth. lat. I 516“, ubi coniectura illa, causa nulla adscripta est.

VIII, 240—244.

Tantum igitur muros intra toga contulit illi
nominis ac tituli, quantum non Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit udo
caedibus adsiduis gladio, sed Roma parentem,
Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit.

Buechelerus nuper sic edidit cum *po*, qui non Leucade habent; in ipso Pithoeano in Leucade scriptum fuit. Illud, si quid video, hunc in modum enarrari deberet: Ciceronem Catilinae coniuratione oppressa tantum nominis tulisse, quantum Octavius non Actiaca, sed Philippensi demum victoria tulerit. Cui sententiae ipsa temporum ratio et proeliorum ordo repugnat. Et quod deinceps sequitur „sed Roma parentem Ciceronem libera dixit“, hoc paulo ante Ciceronis aequalem cum Octavio laudem et gloriam praedicatam fuisse documento est: Ciceronem in pace industria et sollertia eundem titulum sibi peperisse, quem Octavius cruentis proeliis et mari et terra exanclatis abstulerit. Hoc igitur maxime attendendum est et maritimi et terrestris atrocitatem componi cum uno Ciceronis de pace merito. Eadem fere acrimonia Horatius (epod. 7) dixit: „parumne campis atque Neptuno super fusum est Latini sanguinis? Quare non epitheton desideratur ad ornandam Leucadem, quam altam dixit Ovidius, sed maris significatio contra campos Thessaliae necessario requiritur. Quodsi comparaveris [Ovidii] Sapph. 157 tu mihi Leucadia potes esse salubrior unda, 165 aspicit aequor: Actiacum populi Leucadiumque vocant, 180 ne sim Leucadiae mortua crimen aquae, quoniam Leucas ipsa apud Graecos adiectivi quoque loco usurpabatur, non prorsus improbanda videbitur haec coniectura:

quantum unda Leucade, quantum
Thessaliae campis Octavius abstulit.

IX, 118—119.

Vivendum recte est cum propter plurima tum vel
ideirco ut possis linguam contemnere servi.

Aures offendit est adverbio foedisime postpositum. Consuetudo Iuvenalis et ceterorum, ut videtur, poetarum flagitat aut vivendum est recte aut vivendum recte sine est, velut 3, 316 eundum est, 3, 197 vivendum est illic, 10, 32 mirandum est, 10, 339 pereundum erit, 16, 42 exspectandus erit qui lites inchoet annus, 4, 34 non est cantandum, 2, 133 officium mihi peragendum, 6, 231 desperanda tibi concordia, 10, 200 frangendus misero panis, 10, 345 praebenda est gladio cervix, 11, 35 noscenda est mensura sui, 11, 45 metuenda senectus, 10, 240 ducenda tamen sunt funera, 16, 103 quid optandum foret, 10, 330 quidnam suadendum esse putes, Ovid. m. 13, 388 hoc ait utendum est in me mihi, Verg. 12, 890 saevis certandum est cominus armis, 9, 320 Euryale, audendum dextra, Claudian. V 312 donandum novis legionibus aurum, 269 tempestas subeunda mihi, at contra 218 parendum est. Quare cum sub finem prioris versus Pithoeanus tunc est habeat, quod et ipsum intolerabile est, in archetypo suspicor primo verbum excidisse, deinde a margine adscriptum esse, unde factum est, ut in apographis et falso post recte insereretur et sub finem falso a margine irreperet expelleretque genuinam voculam (vel?). Restituendum utique:

Vivendum est recte.

VII, 53—57.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
qui nil expositum soleat deducere, nec qui
communi feriat carmen triviale moneta,
hunc, qualem nequeo monstrare et sentio tantum,
anxietate carens animus facit etc.

Quod initio huius scriptiunculae supra posui, nostra aetate Iuvenalis artificium et ingenium nimis contemni ab philologis, ostenditur et comprobatur eis, quae de illis versibus nuper iudicavit I. Vahlen (Ind. schol. Berol. 1884 p. 16). Gratuletur sibi Iuvenalis, inquit, et exultet non quemvis immodulata poemata videre. Sed is dum vatem egregium adumbrat, se certe egregium non probavit, quamquam ne deteriorem quidem quam esse solet aut potest: ita laboriose quam tenuem sententiam quanto verborum strepitu obruit (quid enim dicit nisi poetam egregium qui nihil vulgare facit?) cumque tritas imagines undecumque, a vena, filo, moneta, decerptas congesserit, ne sic quidem sibi satis facit nisi Tulliana sapientia, quam saepe depascit, ascita inanem sententiam cumulo imponat.

Certe Iuvenalem egregium poetam nec fuisse nec esse voluisse — satirarum scriptores tantam laudem numquam ipsi aspiraverunt —, hoc inter omnes constat, nec

hic exponere libet quo ille consilio quoque artificio commotus verbosior saepe quam pressior fuerit, brevitatem quidem non raro feliciter consequitur, illud autem nescio an temere iudicatum videatur, diversas et confusas venae fili monetae imagines ab ipso permixtas esse. Nam cum vena sive aurea sive argentea in metallis abdita iaceat, ex auro autem et argento protracto in moneta nummi procudantur, quis tandem has duas imagines unius rei natura coniunctas rei plane diversae specie interiecta rursus disiectas et dilaceratas esse credat? Hoc certe non ipsius fecit poetae tenuitas, sed librariorum error inverso sigillo **p** et cum littera **d** commutato, ut saepius dura et plura, proinde et deinde aliaque id genus permutata sunt. Et producendi verbum in metallorum fabricatione proprium praeter Horatium usurpavit Iuvenalis XV 166: ast homini ferrum letale incude nefanda produxisse parum est. Ergo corrigendum: qui nihil expositum soleat producere. Ac nescio an XIV 288 pueros producit avaros ad eandem incudis vim et imaginem redeat.

VIII. 211—221.

Libera si dentur populo suffragia, quis tam
perditus, ut dubitet Senecam praeferre Neroni,
cuius supplicio non debuit una parari
simia nec serpens unus nec culleus unus?
par Agamemnonidae crimen, sed causa facit rem
dissimidem. quippe ille deis auctoribus ultor
patris erat caesi media inter pocula, sed nec
Electrae iugulo se polluit aut Spartani
sanguine coniugii, nullis aconita propinquis
miscuit, in scaena numquam cantavit Orestes,
Troiea non scripsit.

Nero matricida cum Oreste comparatur (cf. 15, 115 sqq.), simul ut causarum diversitas ostendatur, simul ut scelerum Neronis multitudo atque immanitas exponatur. Orestem nec sororis nec coniugis sanguine esse pollutum, nec venenum propinquis miscuisse, nec denique in scaena cantasse nec Troiea scripsisse. Haec duo postrema facinora ioculari modo cum nefariis sceleribus coniuncta videntur prorsus ad Aristophanis in Ranis (146 sq.) auctoritatem: ἐν δὲ τούτῳ κειμένους εἴ ποῦ ξένον τις ἠδίκησε πόποσι, ἢ παιδα κινῶν τὰργύριον ὀφείλετο. ἢ μητέρ' ἠλόγησεν ἢ πατρός γνάθῳ ἐπάταξεν. ἢ πίοριον ὄριον ὄρισεν. ἢ Μορσίμου τις ῥήσαν ἐξεγράψατο. Nec similitudinem quandam inter Aristophanis et Iuvenalis illam dicacitatem intercedere negari potest. Sed tamen hic multo severior et acerbior est. Nero enim non ideo vituperatur, quod quidquam scripserit, sed quod ipse incendiarius Troiae incendium scripserit, nec vero quod umquam in scaena cantaverit, sed quod ipse matricida Orestae fortunam cantare non erubuerit. Non modo artificem aut poetam se iactavit Nero, sed impudentiam animi et durtiem insignem sine ullo rubore suscepit. Ad tantam tam impudentem audaciam numquam descendere ausus est Orestes. Inde cantandi verbum suo ac proprio carere obiecto

apparet. Obiectum enim huic verbo non minus quam scribendo necessarium est, nisi dicacitatem sine morsu diffluere velis. Accedit signum externum. Nam cum inde a versu 216 omnia contineantur uno eodemque subiecto (ille), subito cum Orestes incidit tanquam novum subiectum, aequabile flumen orationis magna cum molestia impeditur ac turbatur. Itaque quoniam quae Nero patrauerit, ab Oreste commissa non esse fingitur, Orestem autem ab Nerone in scaena cantatum esse constat — Suet. 21 inter cetera cantavit Canacem parturientem, Orestem matricidam — corrigi et emendari oportere arbitror:

in scaena numquam cantavit Orestem,
Troica non scripsit.

Et quam commode ad ridiculam severitatem Orestes dicatur Orestem, i. e. matricida matricidam non cantavisse, pluribus exponi nihil profecto attinet. Talia qui non persentiscat, argumentis numquam movetur.

III, 132—136.

alter enim quantum in legione tribuni
accipiunt, donat Calvinae vel Catienae,
ut semel aut iterum super illam palpitet, at tu
cum tibi vestiti facies scorti placet, haeres
et dubitas alta Chionen deducere sella.

Multis dudum offensionem fuit vestitum absolute dictum, cf. A. Scholte *Observ. crit.* 24. Sed quod proposuit Herwerden, festivi, parum placet, quia Chionen quoque festivam fuisse probabile est. Nec enim credo Chionen illud ipsum scortum esse, nec haeres et dubitas per tautologiam coniuncta esse existimo. Sed ut Chione Graeca et nobilis meretrix fuit, ita illud scortum subrusticum et commune fuisse opinor. Quo fit ut haec sententia evadat: at tu, cum tibi vulgaris scorti facies placet, haeres; Chionen vero vel elegantiozem meretricem sella deducere omnino non audes. Hoc ita assequi licet:

cum tibi Vestini facies scorti placet, haeres,
et dubitas alta Chionen deducere sella.

Optime nuper VI 167 correxit Buecheler:

Malo Venustinam quam te, Cornelia, mater
Gracchorum.

Nam in libris exstat Venusinam. Sed tamen nescio an simul gravitati ac granditati Corneliae parvae mulierculae exiguitas ex adverso ponenda fuerit hunc in modum:

Malo Venustillam quam te, Cornelia, mater
Gracchorum.

Saltem apud Mart. III 93, 1 commemoratur Vetustilla, et II 28, 4 magis Vetustillae quam Vetustinae bucca placet.

II, 166—168.

Aspice quid faciant commercia: venerat obses,
hic fiunt homines. nam si mora longior urbem
indulsit pueris, non nunquam derit amator.

Obsidum multitudinem eorumque simul libidinem si Iuvenalis traducere vellet, dicere poterat pueris libidinosi non nunquam defuturos amatores. Sed reprehenditur Romanorum contagio morum malorum, qui ne ab obsidum quidem inviolato iure se abstineant. Levitas ac petulantia eorum iam eo processit, ut, si pueri diutius in urbe morabuntur, vix cuiquam defuturus videatur amator. Quare ego hoc proponendum duco:

nam si mora longior urbem
indulsit pueris, non cuiquam derit amator.

Prorsus similiter apud Propertium I 10, 19 quaecumque abiit in quaecumque:
Cynthia me docuit semper quae cuique petenda
quaeque cavenda forent: non nihil egit Amor.

VII, 59—62.

neque enim cantare sub antro
Pierio thyrsumque potest contingere maesta
paupertas atque aeris inops, quo nocte dieque
corpus eget.

Quod Ribbeckius correxit, cum nocte dieque corpus eget, hoc Buechelero dignum visum est, sub margine quod ad deliberandum poneret. Ipse diu haesitavi, utrum praeferrere melius esset, postremo Iuvenalem nusquam egendi verbum absolute ponere occurrit, sed constanti usu aut ablativum aut genetivum subicere consuevisse, cf. 229 quae cognitione tribuni non egeat, 13, 97 non eget Anticyra, 15, 147 cuius egent prona et terram spectantia, 14, 288 curatoris eget. Haud simile est illud quod 14, 137 substantivi instar dictum est: cum sit manifesta phrenesis, ut locuples moriaris, egentis vivere fato, ubi dives egenti ex adverso opponitur.

